96.

EXEMPLVM EPISTOLÆ PAVLI III.
Pontificis Romani ad Episcopos et Abbates aliquot Helvetiæ.

PAVLVS PAPA III. etc.

Venerabilibus Fratribus, Sedunensi et Curinensi Episcopis ac dilectis filiis, sancti Galli et sancta Maria de Valle, nec non sancti Vrbani, et aliis Abbatibus in Helvetiorum et suorum confoederatorum dominio commorantibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum omnes Christianitatis fastigatos ad universale concilium Tridenti indictum pro nostro, illorumque officio studiose convocamus et cogimus, tum precipue vos Ecclesiam Helveticam referentes, cujus nationis populos tanquam peculiares Sedis Apostolicæ filios et libertatis Ecclesiasticæ defensores, speciali amoris nostri prorogativa complectimur. Decuit à vobis tanto studiosius excipi et ad effectum deduci debet, quanto ipsum concilium apertum, celebrariique coeptum, Gallicis et Hispanis ac Italis Prælatis et aliis in dies confluentibus, frequens jam est: ita ut vos suppudere possit tam vicinos tam longinquis in conveniendo fuisse pigriores. Quod autem vestra natio non parva sui parte infecta hæresibus, remedio ipsius concilii magis indiget, nulla in vobis mora quam primum conveniendi esse debuisset. Quam nunc tarditatem celeri debetis diligentia compensare. Hac, remittentes isthuc dilectum filium Hieronymum Franchum nuncium nostrum, has ei ad vos dandas, iteratâque missione vos monendos ac hortandos duximus, Apostolica auctoritate, tenore presentium monemus et hortamur, ac in virtute sanctæ obedientiæ et sub vinculo juramenti in vestris promotionibus præstiti, cæteris quibuscunque sanctorum canonum districtionibus vos urgemus, ut quantocyus, et omni morâ postposita ad dictum concilium proficisci, ibique ad pacem universalem, sanationemque, et unionem vestrorum

populorum

populorum inter coetera omnibus studijs intendere debeatis, impletúri vestrum officium, et nobis post Deum rem gratam et acceptam facturi: sicut idem Hieronymus nuncius hoc latius explicabit, cujus verbis plenam habebitis fidem. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die xi. Aprilis M.D.XLVI. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Blosius electus Fulgin.

Auscultata et collationata est hæc præsens copia à suo vero originali, nihil additum, nec immutatum. Quod attestor ego Albertus Rosyn Tigurinus, clericus Constantiensis diœcesis, publicus et Apostolica et Imperiali auctoritatibus notarius, et in Archivo Romano curiæ descriptus et matriculatus: in fidem manu propria conscriptus

Ita attestor idem Albertus Rosyn
manu propria.

97)

Salutem in Christo

Non dubito, amicissime mi Philippe, quin tu ipse tecum consicias, quanto animi dolore et ægritudine, quantoq; nostro incommodo hâc præsentiâ, sicuti brevi cæcamq; sed quæ est ratio tuæ valetudinis et aliarum multarum rerum, nostra tempestas tibi hanc feliciorem invidere. Et persuadeo mihi, quod non humanâ, sed divinâ voluntate domi detineare. Quare feremus, quæ accidit, æquo animo, et dicemus ad Psalmi: Obmutesco et non aperiam os meum, quia Tu fecisti: Gratissimum mihi est, quod licuit mihi occasione nostræ brevis confruendæ non solum amicitiam, sed etiam familiaritatem cum D. Georgio Majore, quem semper audivi doctum et primum virum prædicari. Etsi autem tu non ignaro ea mea tenuitate, hîc, tamen sequis mei usus est, haud quaquam dedecori. Ego pene jam novem pene hebdomades hîc fui, sed consuetudo colloquendi mihi fecit otium. Quodcirca faustum felixq; sit colloquium hoc die, quo hæc scribo et memoriæ